

Jungwierth delin Sc.M.



# HISTORIA

# COELESTIS

## *BRITANNICA,*

Tribus Voluminibus contenta.

VOLUMEN PRIMUM.



JOHANNES FLAMSTEEDIUS Derbiensis
Astronomiæ Professor Regius. Anno Ætatis 74 Obijt Decem: 31 1719

# HISTORIÆ COELESTIS BRITANNICÆ
## VOLUMEN PRIMUM.

Complectens

*STELLARUM FIXARUM*

Nec non

*PLANETARUM OMNIUM*

# OBSERVATIONES

*Sextante, Micrometro, &c. peractas.*

Quibus ſubjuncta ſunt

## PLANETARUM LOCA

ab iiſdem OBSERVATIONIBUS deducta.

Obſervante *JOANNE FLAMSTEEDIO*, A.R.


In OBSERVATORIO Regio

## GRENOVICENSI

CONTINUA SERIE

Ab Anno 1675, ad Annum 1689.

*LONDINI:* Typis H. MEERE. M.DCC.XXV.




SERENISSIMO ac POTENTISSIMO PRINCIPI

# GEORGIO,

*Dei gratia Magnæ Britanniæ &c. Regi,*

INSEQUENTEM hanc Cœlorum Historiam Tibi, Princeps Augustissime, quàm humillimè Dedicatam, continuis multorum Annorum Observationibus, crebris Excubiis & assiduâ Diligentiâ, lucubravit, exegit, elaboravit solers ejusdem, & indefessus Auctor.

Jubente CAROLO secundo, Rege ad rem Nauticam promovendam Nato, incepit. Aspirantibus vero cæteris deinceps Principibus, ad Tuam usque Inaugurationem felicissimam, quotidie in majus auxit.

Tu

# DEDICATIO.

Tu igitur (quæ Tua eſt Bonitas) facillimè ignoſces Editoribus, quòd Cæptum tam longum, tam arduum, plenum Laboris, plenum Sumptûs, Tibi ad Pedes ponere vehementer ardeant. Quippe qui non poſſint Sibi non promittere, Te ſub Tutelam Tuam Regiam lubentiſſimè accepturum Opus, ſub Perpetuo Regum Patrocinio inceptum, continuatum, finitum; atque ita quaſi Jure Regni Tibi traditum, & Tuæ commiſſum Fidei.

Adhuc immaturum fovebant Anteceſſores Tui, Ominantes nimirum, in quantam tandem aliquando ſuccreſceret Altitudinem. Tu vero ſumis omnibus numeris abſolutum; ſub Tuo ipſius Regno Auſpicatiſſimo ad Umbilicos perductum; Suo ſcilicet Auctoriſque felici Sidere in hunc delatum Diem, ut benignis tam Inclyti Patroni Radiis enutritum ad plenam perveniret Maturitatem.

Qui Vir fuerit Auctor longum eſſet narrare, quodque & Audaciam ſaperet, & Arrogantiam. Quod vero a Nobis fieri non decet, id facto non eſt opus.

Quàm probe enim tum Navigandi Artem, tum Scientiam Aſtronomicam calluerit Flamſtedius; quàm ſedulam aſperioribus hiſce Studiis excolendis, & ad Praxin Uſumque revocandis navaverit Operam; quâ Humanitate, quâ Facilitate propinaverit aliis inexhauſtos Laboris Sui Fructus; Sibi vero quàm parum pepercerit; Notum ſatis Omnibus & comprobatum eſt.

Hac tam felici indole, His animi dotibus, ſi, inter clariſſimos Ætatis Suæ Viros, paucos quoſdam agnoverit pares (Pares autem habuit planè perpaucos) Hoc unum ſaltem audacter Aſſerimus, in Sacram Majeſtatem Tuam, in Imperium, in illuſtriſſimam Tuam Domum, egregium illud Reformatæ Religionis Decus & Tutamen, Pietate, Studio, Affectu Cordis integerrimo, ſuperiorem habuiſſe prorſùs Neminem.

Omnibus

# D E D I C A T I O.

Omnibus prænobili Tuâ ſtirpe Oriundis perennem Incolumitatem, plenam Felicitatem, proſpera denique & ſerena omnia; Ipſi vero ante omnes Tibi, diu ut Vivas, diu Valeas, diu & feliciter Nobis imperes; ſicut quotidie precatus eſt dum Vixit Ille : ſic precantur, & quam diu vixerint precaturi ſunt

*Subditi tui fideliſſimi,*

*Servique humillimè devoti,*

MARGARITA FLAMSTEED, *Vidua,*

JACOBUS HODGSON.

# AD
# LECTOREM.

*NON abs re Ducimus certiorem facere Lectorem, Obiisse hujus Operis Auctorem Decembris* 31mo *Anno Domini* M.DCC.XIX, *Dolore Stranguriæ per triduum jam opprimente, postquam maximam hujus Operis partem Typis ipse mandaverat, Parti residuæ extremam admovisset Manum, (exceptis Prolegomenis quæ Lingua Scripta Vernacula reliquit quæque si diutius vixisset recensere statuit,) Totumque Opus eodem quo nunc Ordine edendum in mandatis dederat, Prolegomenis nimirum tertii Voluminis initio præfixis. Quod quanquam ab usitata Methodo alienius fortasse videatur, attamen si Animo expendamus in hunc apprime Usum extructum esse* OBSERVATORIUM, *ut Fixarum Catalogus accuratus obtineretur, & quum hæc Prolegomena particularem reddunt Descriptionem quibus Instrumentis, qua Methodo prædictus obtinebatur Catalogus, & quum adeo sibi invicem sint affinia, peridoneum apparebit, atque Ordini perquam consentaneum.*

*Eximius hicce vir Vitam clausit Anno Ætatis suæ* 74to, *Natus Augusti* 19no, *Anno Domini* M.DC.XLVI, *in Oppido Derbiæ in Anglia. Omnium Seculi sui Astronomorum facile Princeps erat, & Coryphæus, nulloque Seculorum præteritorum secundus. Ad Inceptum tam grande, tamque generosum, a Natura creatus videbatur, qui a tenero jam Ungui Studiis Astronomicis apprime Incubuit, non tam Rem suam augendi gratia, quam verum indagandi, solidumque jacendi Fundamentum, pro Legibus definiendis, quibus reguntur Corpora Cœlesta, unde inæstimabilem Posteritati reliquit Thesaurum, quo clarissima ejus Memoria, in omne Ævum erit prorogata, Ejusque Nomen apud Posteros ad Astra digne feretur, quamdiu nimirum Homines Cœlos contemplabuntur, Navesque Æquora pererrabunt.*

*Quid de* Flamsteedio, *ejusque Operibus censebat Gens Literaria, patet ex Epistolis, ab Ipso, virisque omnium Gentium celeberrimis, ultro citroque datis, quæ forsitan aliquando in Lucem prodeant. Quid autem inter Nostrates optimi Censerint Judices ex sequenti Excerpto elucescit, cujus Rei Ratio hæc erat,* viz.

*Cum Dominus* FLAMSTEEDIUS, *Annum circiter* M.DCC.IV, *Manuscriptorum omnium, quæ tunc habuit Prælo parata, Rationem, per Amicum quendam, Regiæ communicaverit Societati, ita oblectati sunt Societatis illius Socii, ut unanimo Consensu, Serenissimo Daniæ Principi* Georgio, *tunc temporis* Thalassiarchæ, *atque egregio Scientiarum Patrono commendaverint, tanquam Opus Ejus Favore, & Patrocinio non indignum. Quibus ille annuere non dedignatus, Epistolam Georgii Clark Armigeri (tunc Ipsius in* Foro Thalassiarchali *Secretarii) manu exaratam ad Eos dandam jussit; qua, iis quorum Nomina subscribuntur, Viris, id delegavit Negotii, ut Chartas nimirum inspicerent Flamsteedianas, atque ipsi redderent Rationem, quid in iis dignum esset quod Typis mandaretur, & quinam in eo sumptus faciendi. Cujus Mandatis Illi morem gerentes, suum hisce de rebus illico miserunt Rescriptum, Cujus Sententia sic se habet,* viz.

Hanc

## Ad Lectorem.

Hanc Observationum Seriem, omnium quæ hactenus a Quoquam sunt peractæ, copiosissimam ducimus, & perfectissimam; Et quum tam ad Astronomiæ, quam Nauticæ Artis Perfectionem, quam plurimum confert, ita si deperdita fuerit, ejusdem Jacturam, nullo modo reparandam credimus. Ut vero Opus adeo sumptuosum, e Tenebris unquam emergeret, qua Ratione fieri possit, omnino Nos latet, nisi, Tibi, Princeps Serenissime, placuerit Tuis Ipsius Impensis edere,

*Sic Testantur*

*Celsitudinis Tuæ*

*Clientes quam humillime devoti*

Franciscus Roberts,
Christophorus Wren,
Isaacus Newton,
David Gregory,
Joannes Arbuthnot.

*Non ita multo post redditum hoc* Rescriptum, *ubi primum Chartæ parari poterant, & idoneæ imprimendi Operis iniri Rationes, feliciter inceptum est, atque Primi Voluminis Schedæ Nonaginta septem Typis mandabantur, durante Serenissimi Principis Vita, Ejusque sumptibus. At post hujusce Principis Obitum, hoc magnum Opus tantum ipsis sumptibus Flamsteedianis promovebatur, atque Ipso jam defuncto sumptibus Executorum.*

*N. B.* Mappæ Cœlestes sub Finem τῶν Προλεγομένων memoratæ, sunt Numero 25 (exceptis tam Borealium quam Australium Constellationum Planisphæriis) quarum aliquæ jam sunt Sculptæ, reliquæ vero quam primum possint, finientur, atque edentur.

# HISTORIÆ COELESTIS.

## *GULIELMI GASCOIGNII*, Armigeri,

## OBSERVATIONES COËLESTES,

Tubis Opticis, & Micrometro a ſeipſo primum invento, *Middletoniæ*, juxta *Leodias*, in Comitatu *Eboracenſi*, habitas, ſub Latitudine 53° 41′. Ab Anno 1638 ad 1643.

Cum nonnullis etiam *Gulielmi Crabtræi* hactenus inæditis Obſervationibus Eclipſium, &c. quas ab intermutuis illorum autographis Epiſtolis deſcripſit *J. Flamſteedius.*

OBSERVATIONEM Defectûs Lunaris, viſæ decimo Die Decembris, Anni 1638, pulchrè ipſius *Gaſcoignii* manu in ſolutâ Schedâ deſcriptam, Verbis in hunc Senſum reperi:

Ventus (ſic ſcribit) vehementer ſpirans, unicam ſolummodò, è Feneſtrâ Cubiculi, Sextante haberi Obſervationem permittebat; quâ tempora ab Horologio numerata corrigerem, Hora ſcilicet 13 h. 29′ P. M. quando Lunæ capta Altitudo 56° 06′, unde Tempus deduxi 11 Min. tardiùs quam indicaverat Horologium, quo oſtendente,

| | Per Horolog. | | Veré. | |
|---|---|---|---|---|
| | h | ′ | h | ′ |
| Immerſio ———— | 13 | 13 ½ | 13 | 02 ½ |
| Lucis primus reditus | 14 | 50 ⅔ | 14 | 39 ⅔ |
| Finis ———— | 15 | 51 | 15 | 40 |

Sub initio reſtitutionis Lucis, Luna erat inter antecedentem Stellarum in Pede præcedentis Gemini, & ſequentem Pedis ejuſdem; ad Auſtrum à rectâ lineâ per utraſque ductâ, quartâ, quod potui judicare, parte Diametri.

Hæc ille. Ejuſdem etiam Defectûs *Broughtonæ* juxta *Manceſtriam*, à *Crabtrao* factas Obſervationes, in Epiſtolâ ad *Gaſcoignium*, datâ Martii 18, 1640-1, deſcriptas inveni.

| *Temp. cor.* h ′ ″ | | ° ′ ″ | |
|---|---|---|---|
| 11 58 00 | Fumus cœpit ſubobſcurus ad marginem Lunæ orientalem; deinde Nubes tenues detinuere Lunam uſque 12 h 06′, ut verum veri Defectûs initium definire non potueram. | | |
| 12 30 15 | Lineæ A. B. per Cornua ductæ, ad verticalem correcta inclinatio, 15° 57′. | | *Vide* |
| 12 43 40 | Ejuſdem lineæ Inclinatio ———— | 24 16 | *Fig.* 1. |
| 12 33 15 | Eclipſis cornua ad dimidiam ferè circumferentiam Lunæ | | |
| 12 35 00 | Linea per cornua ducta diſtabat à limbo lucido ———— | 00 22 ½ | |
| 12 52 53 | Inter Cornua ———— | 00 28 | |
| 12 58 30 | Iſthæc diſtantia ———— | 00 23 ½ | |
| 13 02 30. | Obſcuritas per totam faciem Lunæ. | | |
| 13 03 30 | Eclipſin putavi perfectam totius Lunæ. | | |
| 13 06 00 | Non dubitavi quin tam antea Eclipſis fuerat perfecta totius Lunæ. | | |

## ANNO MDCXXXIX & XL.

## *Gulielmi Gascoignii* Observationes Cœlestes.

| Temp. cor. h ′ ″ | | ° ′ ″ |
|---|---|---|
| 14 40 30 | Luna cœpit exiguum lucis recuperare | |
| 14 43 50 | Inter cornua Eclipsis | 00 23 ½ |
| 14 48 20 | Isthæc distantia | 00 26 |
| 14 52 50 | Inclinatio lineæ A. B. per cornua ducta | 12 00 |
| 15 05 10 | Linea per cornua à limbo lucido | 00 22 ½ |
| 15 08 20 | Inclinatio lineæ A. B. correcta | 15 32 |
| 15 16 50 | Umbra à limbo Lunæ lucido | 00 22 ½ |
| 15 22 30 | Isthæc distantia | 00 24 ½ |
| 15 25 50 | Cornuum Inclinatio correcta | 21 03 |
| 15 33 20 | Inter cornua Intercapedo | 00 20 |
| 15 36 20 | Isthæc rursus distantia | 00 18 |
| 15 39 00 | Circiter finem veræ Eclipsis fuisse puto. | |
| 15 40 00 | Etiamnum exigua Obscuritas. | |
| 15 42 00 | Ante hoc tempus omnino clara. | |

*Vide Fig.* 2

Subjungit. Discrepant exiguum aliquid à Phocillide hæ Observationes, cum tuis perbenè congruunt; in correctione duntaxat Horologii alter nostrum peccaverit, nullam enim Meridianorum nostrorum distantiam collatæ permittunt, cum trium circiter Minutorum horariorum distantiæ exigunt itinerariæ; me quod attinet measque, ego cum momenta tum defectum quá potui curâ & diligentiâ designavi: de temporum certitudine haud pauca dicere possum, sed nolo de meis unquam audacter nimium pronunciare.

Eclipsis Solaris celebrati Maii 22, 1639, Observationes sequentes, *Middletoniæ* juxta *Leodias* in Comitatu *Eboracensi*, factas, in Epistolâ ad *Crabtræum*, data Decemb. 2, 1640, describit *Gascoignius*.

| Alt. ☉ ° ′ | Hor. inde supp. h ′ ″ | Partes Centesimæ Semidiam. | Gradus Circumf. Definition. |
|---|---|---|---|
| 35 35 | 3 51 12 | | |
| 33 51 | 4 09 59 | 46 | |
| 30 47 | 4 30 42 | 106 | |
| 26 30 | 4 59 39 | 161 | |
| 25 58 | 5 03 15 | 160 | |
| 25 20 | 5 07 32 | 148 | |
| 23 23 | 5 20 45 | 120 | |
| 21 38 | 5 32 40 | 87 | 110 |
| 20 53 | 5 37 47 | 70 | 96 |
| 20 11 | 5 42 35 | 60 | 90 |
| 19 28 | 5 47 30 | 46 | 80 |
| 18 12 | 5 56 15 | 19 | 50 |
| 17 20 | 6 12 16 | 0 | |

Initium.

Crescente Eclipsi, ab initio scilicet ad medium, Cœlum sub Sole nubibus plerumque fuerat obductum; Diametrorum ratio erat ut 100 ad 92, (sic scribebam) ut inter duos circulos parallelos 90 & 95 capta. Certus tamen esse nequeo non fuisse 97; nollem igitur huic plus quàm tua te suadebit ratio confideres: per tria puncta etiam observavi, sed incommodam Methodum inveni, & incertas inde deductas proportiones inter 81 & 100. Fuisse tamen alteram è prioribus, & me scripsisse 92, certus sum.

Pleiadum intermutuas distantias, Cochlearum ope, primum ab ipso Telescopio adhibitarum, dimensas in eadem Epistolâ communicavit *Crabtræo* suo *Gascoignius*: quas quando certo nulli diei consignavit, non extra ordinem hic describam.

*Vide Fig.* 3

| | ′ ″ | | ′ ″ |
|---|---|---|---|
| ab | 35 01 | df | 38 18 |
| ae | 27 50 | af | 22 54 |
| cb | 19 24 | cb | 21 |
| ed | 25 31 | ac=df feré. | |
| bd | 22 43 | dc=ab feré. | |

Has

## ANNO MDCXL & XLI.

## *Gulielmi Gaſcoignii* OBSERVATIONES Cœleſtes.

Has Tubo quatuor pedum circiter ſe cepiſſe menſuras refert *Gaſcoignius*; quas tamen ſi cum recentioribus earum Obſervationibus conferes, exiguas omninò differentias reperies; eaſque Tuborum diverſis Longitudinibus, & Machinarum ipſis adhibitarum melioribus fabricis, facilè excuſandas.

## ANNO 1640.

Octobris 15. Cum Azimutha Saturni erat 7° ferè à Meridie verſus Ortum, ipſe per Tubum altior apparuit, ac 26ta Aquarii, per duos vel tres Scrupulos primos; ad Occaſum à circulo verticali fixam pertranſeunte; è quâ diſtetit 25′ 09″.

Octobris 16. Saturni à fixâ diſtantiâ 25′ 36″. Fixæ tunc locus Tychonicus Aquarii 23° 46. Latitudo 2° 00 Meridionalis.

Octobris 25. Solis variis modis obſervata Semi-diameter 16′ 11″ vel 10″.

Octobris 31. Solis iterum capta Semi-diameter 16′ 11″.

Ex alia *Gaſcoignii* ad *Crabtræum* Epiſtola data Martii 22, 1640.

Decembris 2. Solis obſervata Semi-diameter 16′ 24″.

## ANNO 1641.

Januarii 11, Veſperi, Lunâ tranſeunte ſupra 15 Tauri, Hora 7 51′ $\frac{3}{4}$, limbus ejus inferior erat 15′ 19″ ſupra fixam, & duobus ferè ſcrupulis occidentalior. *Lunæ Centrum intelligo*; hora enim 8 03′ P. M. alto Syrio 14° 50′, Lunæ Centrum fixam præterierat 7′. Fixæ tunc locus Tychonicus ♊ 3° 27′, Latitudo 2° 36′ $\frac{1}{2}$ Meridionalis.

Februarii 9, Veſperi, Ibat Luna ſupra 13 Orionis, cujus tunc locus Tychonicus ♊ 23° 42′, Latitudo 3° 12′ $\frac{1}{2}$ Meridionalis: è quâ, alto Syrio 18° 10′, *i. e.* hor. ejus limbus Borea-Zephyrus diſtabat 15′ 02″.

Horâ 8 36′ $\frac{1}{2}$, alto corde Leonis 36° 40′, limbus idem Lunæ & fixa in eodem circulo verticali apparuere, diſtantes 16′ 42″.

Horâ 8 57′, alto corde Leonis 39° 24′, iſthæc diſtantia 19′ 02″.

Horâ 9 40″, alto, eodem 44° 00″, diſtantia repetita 40′ 00″, & Lunæ capta Diameter 30′ 54″.

Martii 10, Veſperi, Lunâ ſupra 13 ♊ tranſeunte, cujus tunc locus Tychonicus ♋ 13° 46′, Latitudo 5° 41′ Meridionalis, fixæ cepit.

| *Hora Horolog.* h | ′ | *Correct.* h | ′ | | ′ | ″ |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 8 | 02 | 8 | 03 $\frac{1}{2}$ | Diſtantiam à cuſpide proximo | 30 | 18 |
| 8 | 25 | 8 | 28 | ——— rep. | 23 | 59 |
| 8 | 40 | 8 | 44 | ——— Iter. | 20 | 19 |
| 8 | 59 | 9 | 05 | Fixa in recta per cuſpides—— | 18 | 20 |
| 9 | 26 | 9 | 34 | Fixa à limbo lucido—— | 18 | 20 |
| 10 | 20 | 10 | 32 | ——— rep. | 29 | 47 |

Interea pro emendatione Horologii, ſequentes cepit altitudines cordis Leonis & Arcturi, è quibus adſcripta ſupputavi tempora.

| *Hora Horol.* h | ′ | | *Altitud.* ° | ′ | *Hora inde ſupp.* h | ′ |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 7 | 50 | Cordis Leonis | 43 | 48 | 7 | 49 $\frac{2}{3}$ |
| 7 | 56 | | 44 | 28 | 7 | 56 $\frac{2}{3}$ |
| 8 | 47 | | 48 | 38 | 8 | 53 |
| 10 | 01 | Arcturi | 36 | 48 | 10 | 15 $\frac{1}{2}$ |
| 10 | 30 | | 40 | 41 | 10 | 41 |

Quibus

ANNO MDCXLI & XLII.

## *Gulielmi Gascoignii* & *Guliel. Crabtræi* Observationes Cœlestes.

Quibus subjungit quod die sequenti, horâ 10 horologium ostenderat tempus 37′ scrupulis horariis justo tardiùs, & Lunæ captam Semi-diametrum, 18′ 03″.

### Ex Epistola *Crabtræi* ad Dominum *Gascoignium*, Maii 26, 1641.

Motus, quod scis macularum Solarium proximè sit Æquinoctiali Parallelus cùm maximam habeant ad Eclipticam Inclinationem, hoc accidit circa finem Novembris: difficile est, imò vix possibile ipsissimum diem æquilibrii determinare. *Scheinerus* habet 21 vel 22 Augusti & Februarii; maximam Inclinationem circa 22 Maii & Novembris, Styli veteris. Attamen, quantum ego varias ipsius Observationes conferendo possum assequi, maximæ Inclinationes fieri videntur potiùs circa 28 Maii & Novembris; Æquilibrium circa 25 Februarii, & 28 Augusti: Harum præcisam quantitatem definire nequeo, siquidem diversa è diversis Observationibus exantlatur: plurimæ tamen faciunt inter Gradua 7 & 8.

### In eadem Epistola alibi.

Sexto Aprilis præteriti, Sol tres circiter gradus altus per tenues nubeculas nudis oculis aspectabilis apparuit; defixis propterea supra trabeculam duabus acubus, normaliter ab iis recessi donec per extimam alterius, alterius intimam marginem extremos limbi Solaris limites utrinque potui discernere; ibique notato oculi mei loco, ejus ab acubus distantiam inveni partium 2011, qualium earum Interstitium 19 75: Solisque propterea Diametrum apparentem 32′ 03″, Semi-diametrum 16′ 01″ $\frac{1}{2}$. Solis limbus haud admodum accuratè definitus erat, propter nubeculæ nimiam opacitatem; alioquin non inaccuratam hanc Observationem existimâssem.

De eadem re in ejus Responso, dato Junii 22, 1641, Dominus *Gascoignius* hæc habet.

Nihil certius esse potest quàm Solis Semi-diametrum non variari plus 35″ scrupulis secundis summùm; cujus cùm huc redieris luculentissima videbis argumenta: Hæreo duntaxat num maxima sit Semi-diameter 16′ 25″, vel 16′ 30″; & an minima 15′ 50″, vel 15′ 55″; cum hæ sint quantitates tum minimæ majori vitro, tum maximæ minori. Vigiliis Pentecostes Veneris Diametrum observavi 1′ 04″ accuratissimè, æreis Indicibus; quam nihil à tuis & Domini *Horoccii* Observationibus dissentire credo, si ad veram Solis Diametrum reductæ fuerint, considerato etiam Veneris loco, quæ non nisi post dies sedecim Soli conjuncta fuerit futura.

### Ex Epistola *Crabtræi* ad *Gascoignium*, Junii 22, 1642.

In Eclipsi Lunæ 4ti Aprilis præteriti, Cœlos nubes densæ ad finem ferè subtegebant; iis tamen sub exitu Lunæ aliquando dehiscentibus.

| *Hora Horolog* h ′ | *Hora Correct.* h ′ | |
|---|---|---|
| 15 17 | 15 23 | Ipsam per Hiatum vidi $\frac{1}{3}$ Semiperipheriæ in orâ dextrâ & inferiori deficientem. |
| 15 19 | 15 25$\frac{1}{3}$ | Rursus per Nubium Hiatus apparuit obscurata etiamnum $\frac{1}{4}$ Semicircumferentiæ. |
| 15 22$\frac{1}{2}$ | 15 29$\frac{1}{3}$ | Subobscurè apparuit iterum, sed nubibus impedita prætervolitantibus, ut vix dignoscere potui utrum penitus umbra evaserat necne: adhucdum tamen occidentalem limbum opposito obscuriorem putabam. |
| 15 25 | 15 31$\frac{2}{3}$ | Ipsam rursùs per nubes conspexi, determinare tamen non potui num ab Eclipsi libera necne; putabam potiùs tenuem manere in dextro limbo obscuritatem, sed de eâ certus non eram. |
| 15 29 | 15 35$\frac{2}{3}$ | Denique è nubibus evadens, clarior apparuit quàm antea, eratque limbus ejus perfectè nitidus. |

Pro

## ANNO MDCXLI & XLII.

## Gulielmi Gascoignii OBSERVATIONES Cœleſtes.

### Pro Examinatione Horologii.

*Per Horolog.*

| h | ′ | | ° | ′ | | h | ′ |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 15 | 50 | Altitudo lucidæ Vulturis | 38 | 17 | Hora inde ſup. | 15 | 57 |
| 16 | 04 | Ejuſdem Altitudo —— | 39 | 32 | Hora inde ſup. | 16 | 10 |

Aprilis 5, manè, Hora 8 56′ ½ per Horologium, Altitudo vera Solis erat 34° 00′, unde Hora vera elicitur 9 h 03′ ½; requiſitam ergo ſervavit conſtantiam Horologium; temporaque monſtrabat in Eclipſi 6′ ½ juſtò tardiora.

OBSERVATIONES Diametrorum LUNÆ ſequentes, ab Anno ineunte, 1641, à *Gaſcoignio* habitas, in ſoluta Scheda ipſius manu pulchrè deſcriptas reperi, ſcrupulis Gradûs centeſimis: Quibus ſexagenarios æquipollentes appoſui; quo facilior fiat earum cum Tabulis quibuſvis & Theoriis Collatio.

| *Anno* 1641. *Menſ.* | *Die.* | ☽ *Altit.* | *Hora P. M.* | *Semid. in Cent.* | *Semid. in* ′ ″ |
|---|---|---|---|---|---|
| Januarii | 9 | | 5 p.m. | 25 52 | 15 19 |
| | 10 | | 5 p.m. | 25 52 | 15 19 |
| | 12 | | 5 p.m. | 25 97 | 15 35 |
| | 13 | | 8 p.m. | 25 88 | 15 32 |
| | 14 | | 5 p.m. | 26 14 | 15 39 |
| | 16 | | 6 p.m. | 26 64 | 15 59 |
| Februarii | 9 | | 8 p.m. | 25 87 | 15 31 |
| | 11 | | 7 p.m. | 27 02 | 16 13 |
| | 13 | | 7 p.m. | 27 45 | 16 28 |
| | 16 | | 8 p.m. | 28 57 | 17 11 |
| Martii | 10 | | 9 p.m. | 29 13 | 17 29 |
| | 13 | | 8 p.m. | 27 53 | 16 19 |
| Aprilis | 6 | | 10 p.m. | 25 47 | 15 17 |
| | 7 | | 9 p.m. | 26 10 | 15 40 |
| | 9 | | | 26 80 | 16 05 |
| | 12 | Ex. | 9 p.m. | 28 23 | 16 56 |
| | 15 | Ex. | 9 p.m. | 28 23 | 16 57 |
| Maii | 13 | | 8 p.m. | 28 31 | 16 59 |
| Junii | 4 | | 9 p.m. | 26 23 | 16 44 |
| | 9 | | 9 p.m. | 27 63 | 16 35 |
| | 10 | | | 27 86 | 16 43 |
| | 11 | | 9 p.m. | 28 23 | 16 56 |
| | 12 | | 9 p.m. | 28 65 | 17 11 |
| Julii | 5 | | 9 p.m. | 26 60 | 15 58 |
| | 6 | | 9 p.m. | 26 91 | 16 09 |
| | 7 | | 9 p.m. | 27 55 | 16 32 |
| | 8 | | 9 p.m. | 27 96 | 16 46 |
| | 9 | | 9 p.m. | 28 07 | 16 51 |
| Augusti | 13 | | 9 p.m. | 26 04 | 15 38 |
| | 14 | | 9 p.m. | 26 36 | 15 49 |
| Septemb. | 1 | | 8 p.m. | 26 92 | 16 09 |
| | 4 | | 8 p.m. | 27 34 | 16 24 |
| | 6 | | 8 p.m. | 27 02 | 16 13 |
| | 7 | | 8 p.m. | 26 60 | 15 58 |
| | 11 | | 8 p.m. | 25 50 | 15 18 |
| | 13 | | 8 p.m. | 25 02 | 15 01 |
| | 15 | | 5 a.m. | 25 39 | 15 14 |
| | 16 | | 12 p.m. | 25 23 | 15 08 |
| | 20 | | 5 a. | 25 76 | 15 27 |
| Octobris | 11 | | 10 p. | 24 609 | 14 46 |

| *Anno* 1641. *Menſ.* | *Die.* | ☽ *Altitudo.* | *Hora.* | *Semid. in Cent.* | *Semid. in* ′ ″ |
|---|---|---|---|---|---|
| Octobris | 12 | 31 E. | 10 p. | 23 973 | 14 23 |
| | 18 | | 7 a. | 25 560 | 15 20 |
| | * 30 | | | 26 708 | 15 52 |
| Novembris | 2 | 20 | 5 p. Ex. | 25 687 | 15 25 |
| | 4 | 30 | 7 p. Ex. | 25 415 | 15 15 |
| | 5 | 35 | p. Ex. | 25 212 | 15 08 |
| | 9 | 18 | p. Ex. | 24 595 | 14 45 |
| | 12 | 5 | p. | 24 327 | 14 36 |
| | 13 | 46 ½ | a. m. | 24 732 | 14 50 |
| Q. | 13 | 5 40 | 10 33 | 26 376 | 15 49 |
| | 20 | 13 44 bc. | | 27 139 | 16 17 |
| | 26 | 15 | | 27 198 | 16 19 |
| | 29 | 34 40 | Merid. | 26 012 | 15 36 |
| | 30 | 39 40 | 7 27 | 25 683 | 15 25 |
| Decembris | 3 | 46 30 | 8 p. | 25 065 | 15 02 |
| | 8 | 32 | 9 07 | 24 567 | 14 44 |
| MDCXLII. | | | | | |
| Augusti | 25 | | | 25 76 | 15 27 |
| | 26 | | | 26 39 | 15 50 |
| | 27 | | | 26 65 | 15 59 |
| | 30 | 23 Ex. | | 27 654 | 16 35 |
| | 31 | 16 | | 27 200 | 16 19 |
| Septembris | 1 | 13 | 9 08 | 26 446 | 15 42 |
| | 17 | 3 | | 24 24 | 14 33 |
| | 19 | 6 | | 25 08 | 15 03 |
| | 20 | 14 ½ | 7 Ex. | 25 55 | 15 20 |
| | 24 | 22 E. | | 27 552 | 16 32 |
| | 26 | 22 ½ | 7 50 | 27 347 | 16 24 |
| | 27 | 39 W. | 1 30 | 27 886 | 16 44 |
| | 28 | 12 E. | 7 35 | 26 916 | 16 09 |
| | 29 | 18 40 E. | | 26 433 | 15 52 |
| | 30 | 22 20 W. | 9 40 | 26 148 | 15 41 |
| Octobris | 1 | 26 E. | 10 47 | 26 745 | 16 03 |
| | 7 | 46 20 | | 23 94 | 14 22 |
| | 8 | | 4 47 | 25 107 | 15 04 |
| Decembris | 23 | 18 | 5 p. | 24 67 | 14 48 |
| | 24 | 48 | 9 p. | 24 24 | 19 33 |
| | 26 | 31 | 9 p. | 23 85 | 14 19 |
| | 28 | 17 | 7 a. | 23 61 | 14 10 |
| | 29 | 13 | 9 p. | 23 59 | 14 09 |

# JOHANNIS FLAMSTEEDII, *Derbiensis*,

# OBSERVATIONES COELESTES,

## *DERBIÆ* habitæ sub Latitudine 52° 58′

## Ab Anno 1668, ad Annum 1674, completum.

### ANNO MDCLXVIII.

Octobris 25 ☉. DEFICIENTE Sole circa Meridiem, ejus Speciem per Telescopium in Scenam recepi, sub obscuro Tecto, quà Diameter ejus quatuor fere Digitos Pedis Anglicani, lata apparuit; hanc per sex Circulos concentricos in duodecem Digitos, & unumquemque similiter Digitum in quinas bene distinctas partes divisi. Ipsum Initium Nubes abstulêre, e quibus tamen paulò postea Sol emersit, sextâ parte Digiti unius in ejus Limbo deficiente, tunc cœptum numerare Vibrationes perpendiculi quarum 1485 compositæ unius Horæ Spatio peragebantur, deinceps observati,

| *Vibr. Comp* | *Hora deducta* h ′ | *Digit Defic* |
|---|---|---|
| 0 | 11 01 | 0 $\frac{1}{6}$ |
| 156 | 11 08 | 1 |
| 792 | 11 33 | 4 $\frac{3}{5}$ |
| 1200 | 11 49 $\frac{1}{6}$ | 6 |
| 1480 | 12 02 | 6 $\frac{2}{5}$ |

Jamque, vel paulò citiùs, Solis Limbus Orientalis transierat Meridianum, unde Phasium reliquarum deprompsi tempora.

*Vide Fig. 4.*

Post 10′ vel 12′ scrupula horaria, Digiti deficientes fuere saltem 6 $\frac{4}{5}$, certe non plures Digitis 7.

Ab hac Phasi Nubes densiores Solem excepêre, sub quibus dilituit usque ad finem fere Defectûs; eo tamen imminente rursus in clarum prodibat, ipsumque exitum Lunæ distincte notavimus, Hora 1 24′ $\frac{1}{3}$ post Meridiem.

*Wingfeldiæ*, novem circiter Milliaria à *Derbia*, Boream versùs, Amicus meus familiaris, *Imanuel Haltonus*, Armiger, Matheseos omnis admodum peritus, Initium notavit Hora 11 1′ mané. *Codnoræ*, duo ad Austrum à *Wingfeldia* Milliaria, unum Digitum deficientem vidit Cognatus meus, D. *Willson*, Hora 11 7′, mane; finem Hora 1 26′, P. M. quem rotunde tantum definit Dom. *Haltonus*, *sesquihoram circiter post Meredіem*, ego supputaveram antea e Tabulis,

| | *Carolinis.* h ′ ″ | | *Philolaicis.* h ′ ″ |
|---|---|---|---|
| Initium | 11 13 09 | Mané. | 11 24 33 |
| Maxim. Obscur. | 0 21 16 | P. M. | 0 36 13 |
| Visibilem ☌ | 0 29 49 | P. M. | 0 44 13 |
| Finem | 1 29 25 | P. M. | 1 48 11 |
| Digit. in max. Obs. | 6 24 $\frac{2}{7}$ | | Digit. 6 42 |

Omnes scilicet Phases, per utrumque Calculum, longe seriores quam cælitus apparuêre.

Luna

## ANNO MDCLXXI.

# *Johannis Flamsteedii* OBSERVATIONES Cœleftes.

**Maii 6 ♄ Vefperi.**

Lunæ tegebat 38 Leonis (cujus locus Tychonicus tunc ♍ 9° 56′, Latitudo 1° 20′ ½ Bor.) alto Jove 32° 52′ ad Occafum, unde Horam deduxi 9 16′ ½, P.M. fixâ Lunam fubitura altior apparuit infimâ margine Propontidis; ejus ab ea emerfionem non confpexi, fed priufquam ad maculæ Cafpiæ Latitudinem à Limbo Lunæ feparata fuerat, vidi Fixam, & Altitudinem Limbi fupremi Lunæ cepi 31° 54′, quo depreffior Fixa erat 7′ vel 8′ Scrupulis, Hora ergo 10 24′ ½: Ad Jovem deinde verfo Tubo, ejus etiam cœpi Altitudinem 22° 36′, unde Hora deducitur 10 25′.

**Septemb. 8 ♀tis Vefperi.**

Hora 7, Luna, in Umbris Terræ penitùs immerfa, fanguinei & cinericii Coloris apparuit, obfcurior tamen ab occidentali Margine; Initium ipfius Emerfionis, aliis intentus, non confpexi; fed deinceps notavi,

| h | ′ | |
|---|---|---|
| 7 | 20 | Pars fexta circiter Peripheriæ illuftrata. |
| 7 | 26 | Pars tertia ejufdem recuperata. |
| 7 | 43 | Dimidium lucidum. |
| 8 | 07 | Cafpia retecta. |
| 8 | 11 | Finis. |

Tempora cœpi ope minufculi Horologii, fingulos Horæ Scrupulos primos indicantis, ab Altitudinibus Lunæ (Quadrante novem tantum Digitorum Radio captis) correcti, quibus propterea minùs fidere velim; ni aliis à Dom. *Haltono, Wingfeldiæ*; & *Londini* à Dom. *Hookio*, habitis Obfervationibus, effent utique conformes. *Wingfeldiæ*, ut ad me, Octobr. 9, 1671, Literis datis, fcribit D. *Haltonus*, obfervata,

| h | ′ | |
|---|---|---|
| 7 | 12 | Prima Lux. |
| 7 | 41 ½ | Lucidum. |
| 7 | 54 ½ | Peripheriæ adhuc obfcura. |
| 8 | 02 ½ | Ejufdem. |
| 8 | 11 | Tota lucida. |

**Octobris 17 ♂tis**

Tubo longiori Pedum 14, Saturni Anfulæ haud adeò diftinctè videbantur, ut Noctibus Dierum aliquorum præcedentium, (etiamfi Aër, ni fallor, haud paulò exftiterit ferenior) fed exiles valde & tenues; ut etiam Noctibus Dierum 21 & 22 fequentibus; adeò, ut nifi de iis mihi antea innotuiffet, pro Radiis duntaxat Spuriis, à Vitro vel Aëre minùs rectè conftituto, prognatis forfan habuiffem.

Anfam, quæ ad dextram, alterâ lucidiorem & magis evidentem aliquando exiftimabam.

*Vide Fig.* 5 — **22 ☉ Mané.**

Hora 6 43′ (alto Jove 39° 30′) omnes quatuor Satellites ad finiftram ab ipfo, ut in quinta Figura apparuêre; intimus nimirum unum tantùm Diametrum à Limbo ejus diftans, proximus fefquidiametrum ab hoc, vel 2 ½ Diam. à Limbo Jovis, fub quo, in Linea Viæ Satellitum perpendiculari, alter apparuit, Semidiametrum ab eo diffitus. Remotiffimi à Limbo Jovis remotiore Micrometro cœpi Diftantiam 1257 = 7′ 31″. Ad Dextram Planetæ Fixa *f* apparuit, cujus à Limbo ejus remotiffimo capta Diftantia 580 = 3′ 28″, major quæ fuit & lucidior quovis Satellitum.

Jovis capta etiam Diameter 100 = 36″; ergo *a l* 34″, *l b* 1′ 30″, *b c* 18″, *m d* 7′ 31″, *l f* 3′ 29″, *l d* 11 ½ Diam.

**Novembr. 6 ☽**

Hora 4 46′, P. M. altâ *f* Pleiadum 7° 45′, Tubo minori, cujus tunc Longitudo 86 $\frac{1}{10}$ Polluces Pedis Anglicani, Diftantia Limbi Lunæ proximi, à media & lucida Pleiadum capta 4516 = 51′ 21″.

Hora

ANNO MDCLXXI.

## *Johannis Flamsteedii* OBSERVATIONES Cœlestes.

| | |
|---|---|
| Novembr. 6 ☽ | Hora 5 10′, P. M. alta eadem Fixa 10° 30′, Tubi Longitudo 85 ⁷⁄₁₀ Poll. isthæc Distantia repetita erat 5436 = 1° 02′ 11″. Lunæ Semidiameter Horizontalis é variis ejusdem Noctis Observationibus rite perpensis prodit 16′ 57″, propterea Distantia Centri Lunæ à lucidissima Pleiadum, Hora 4 46′, P. M. erat 1° 08′ 18″; sed Hora 5 10′, erat 1° 17′ 08″. |
| 7 ♂tis | Hora Mane, alto Jove 35° 15′, omnes quatuor Satellites apparuêre; duo scilicet ad dextram Jovis, totidemque ad sinistram; quorum qui ad dextram, duas circiter Joviales Diametros ab invicem distabant, & eorum qui Limbo proximus, tantum fere ab ipso. Intimus ad dextram Semidiametrum duntaxat à Limbo aberrat, remotissimi Distantiam à Limbo remotiori Jovis Dimensus sum 1246 = 7′ 25″; ab extimo verò, ad sinistram, Satellite 1706 = 10′ 12″. Hora 6 14′, alto Jove 41° 06′, vel citiùs, Satellites a in umbram Jovis seipsum condiderat; Immersionem ejus, aliis intentus, non notavi. |
| 10 ♀ris | Satellites, ut in septimâ Figurâ, vidi dispositas, tunc mensuratæ Distantiæ, Hora 5 27′ mane, alto Jove 38°. |

| | | ′ ″ |
|---|---|---|
| d c | 1217 = | 7 16 |
| l c | 787 = | 4 42 |
| md | 498 = | 2 59 |

Deinde Hora 6 30′, alto Jove 42° 30′. *Vide Fig. 7*

| | | |
|---|---|---|
| d b | 1130 = | 6 45 |
| l c | 755 = | 4 31 |
| md | 495 = | 2 58 |

Nocte sequente, Saturni ansatum Sidus per Tubum ad dextram apparuit lineæ rectæ ductæ per 25$^{am}$ & 26$^{am}$ Aquarii; illius Locus tunc Tychonicus Piscium 12° 37′, Latitudo 1° 00′ Meridionalis; hujus veró Locus Piscium 12° 32′, Latitudo etiam Meridionalis 2° 49′: Tubi tunc Longitudo 85 ⁷⁄₁₀, per quem ejus à 26ª Distantia capta 3758 = 43′ 00″, & à 25ª 6171 = 1° 10′ + Heckeri Ephemerides ad hoc Tempus Planetam exhibent in Piscium 13° 04′, cum Latitudine Australi 2° 11′, longe scilicet promotiorem quam Observatio ipsum ostendit. *Vide Fig. 8*

| | |
|---|---|
| Decemb. 4 ☽ | Paulo ante Solis Exortum, Veneris Sidus longiori Tubo consideratum, ejusdem fere Magnitudinis & Figuræ apparuit, quam exhibui; ejus capta Diameter erat 168 = 1′ 00″, cujus Pars sexta circiter illustrata. Apertura super Vitrum objectivum erat ½ unius Digiti, per quam Limbus Planetæ exterior satis bene definitus apparuit; interior vero (lucis terminus) inæqualis, turbidus & scabrosus, Cuspidesque aliquantulùm obtusæ. *Vide Fig. 9* |
| 6 ☿rii Mané. | Altâ Venere 13° 34′, vel paulo antea, Mars distabat à Lance Libræ Australi 3765 = 22′ 37″, quâ humilior apparuit, dimidio circiter ejusdem Distantiæ; deinde hujus Altitudinem cœpi 19° 12′, Lancis austrinæ nunc Locus Scorpii 10° 29′, Latitudo 0° 26′ Bor. Martis in Ephimeride Heckeri Latitudo 0° 43′ Bor. cujus ergo Locus, in Consequentia, Fixæ. *Vide Fig. 10* |

ANNO MDCLXXII.

| | |
|---|---|
| Januarii 1 ☽ Vesperi | Majori Tubo cui Aperturam unius solummodo Digiti lentem ocularem, Radios ad secundum ab eo Digitum colligentem adeptâram; Saturni Sidus inspectum, distinctè admodùm rotundum nec Ansis ullis (quoad cernere potuerim) stipatum apparuit; sed |

ANNO MDCLXXII.

## *Johannis Flamsteedii* OBSERVATIONES Cœleſtes.

♃ recens exortus iiſdem Vitris conſideratus, Radiorum Capillitio turbide vibrantium circundatus; omnes vero ejus Satellites ad dextram ab eo, ſat bene videbantur, extimus non plus 4 aut 5 Diametros ab eo diſtans, intimus vix unius dimidium à Limbo ejus remotus.

Februarii 1 ☿^rii

*Vide Fig.* 11

Circa 8 h P. M. omnes 4 Satellites, ut in undecima Figura, circa Jovem apparuêre, è quibus primum, qui proximus à Leva ſtabat, in Umbram Jovis inceſſurum; tertium, qui ad dextram ſolus, ſub ejus faciem tranſiturum inveni (per Numeros clariſſimi Caſſini) ante Horam undecimam: præſtolavi propterea Eclipſin primi quæ tunc accidebat, cum ♃ altus erat 32° 20′, i. e. Hora 10 36′, P. M. $\frac{1}{4}$ circiter Diametri Jovialis, à Limbo ejus ad punctum *b*, Hora 10 38′, alto Jove 32° 50′, certe non apparuit. Deinceps, Hora 10 52′, alto eo 34° 20′, tertius diſtabat $\frac{1}{4}$ Diametri à Limbo ejus, adeò ut Linea ducta ab hoc, Lineæ Satellitum perpendicularis, Jovis Limbum accuratè tangeret, quoad potui conjicére, erat nunc infra Zonam latam apparenter, & $\frac{1}{3}$ Quadrantis Peripheriæ ab Interſectione Viæ Satellitum cum Limbo Jovis ad punctum a.

Februarii 16 ♀^i

*Vide Fig.* 12

Cœlo ſereno, majori Tubo longo tunc Digitos 164 $\frac{2}{11}$ Jovis Sidus aberrat à 24^a Leonis dimidium circiter Lunaris Diametri, oculari per Tubum eſtimatione; Fixæ tunc Locus Tychonicus ♍ 14° 08′, Latitudo 1° 40′ Bor. Alto Jove 13°, Diſtantia Limbi Jovis remotiſſimi à Fixa erat 2815 = 16′ 54″; & rurſus, alto Jove 18° 10′, i. e. Hor. 7 44′, iſthæc Diſtantia 2821 = 16′ 56″, & Differentia Altitudinum Limbi Jovis apparenter inferioris, & Fixæ 125 = 45″, hanc tamen potius juſto majorem fuiſſe menſuram exiſtimo, ſed non audeo aſſerere, quippe vibrabat admodum Planeta, & Limbus ejus vix ſatis terſus apparuit; tres tantùm prope ipſum hâc vice ♃ habuit Satellites, quartus ſub ejus Facie, ut Numeri oſtendunt Caſſiniani, latitabat.

17 ♄^i Veſperi

*Vide Fig.* 13

| *Cœlo ſereno.* | ♃^is *Alt.* | *Hor. ſup.* | |
|---|---|---|---|
| | ° ′ | h ′ | ° ″ |
| | 11 54 | 7 10 | ♃^i Di. 125 = 00 46 |
| | 14 10 | 7 14 | ♃ f 3690 = 22 10 |
| | 15 54 | 7 25 | f a 1505 = 09 03 |
| | 17 30 | 7 36 $\frac{1}{2}$ | ♃ f 3700 = 22 13 |
| | 29 22 | 8 59 | vel uno forſan citiùs ſcrupulo horario. Satelles Jovis primus qui ad ſiniſtram apparuit, paulo ſupra Viam Satellitum, ſed plus à Zona inferiori, diſparuit; adeo Jovi propinquus ut Diſtantiam definire non potueram. |
| | 30 20 | 9 07 $\frac{2}{3}$ | ♃ f 3755 = 22 32 |

18 ☉^is Veſperi.

♃ f eſt Diſtantia Limbi remotioris Planetæ à Fixa; f a, Differentia Altitudinum Limbi ejus inferioris & Fixæ.

| ♃^is *Alt.* | *Hor. ſup.* | |
|---|---|---|
| ° ′ | h ′ | ° ″ |
| 11 24 | | ♃ f 4770 = 21 50 |
| 12 00 | 6 59 $\frac{1}{2}$ | f a 2770 = circiter forſan unâ Cochleæ revolutione. |

vel 20″ major eſſe debuit; etenim tum hâc, tum præcedente Nocte, cum Differentias Altitudinum Limbi Jovis, & Fixæ caperem, erat ille extra Indicis Extenſionem; ſed exiguum aliquid duntaxat veſperâ Diei 17, cujus propterea Obſervationem certiorem exiſtimo.

Ab

ANNO MDCLXXII.

## *Johannis Flamsteedii* Observationes Cœlestes.

Ab his Observationibus supputavi,

| Februarii D. h ′ | Ang. Circ. Vert & Ecl. ° ′ | ♃ in Ant. ✶ ′ ″ | Cum Lat. minori. ′ ″ | ♃ is Locum ♍ ° ′ ″ | Latitudinem Bor. ° ′ ″ |
|---|---|---|---|---|---|
| 16 07 44 | 59 18 | 9 16 | 13 30 | 13 58 00 | 1 26 30 |
| 17 07 25 | 59 45 | 17 25 | 13 14 | 13 49 54 | 1 26 46 |
| 18 07 00 | 60 05 | 25 12 | 12 45 | 13 42 04 | 1 27 15 |

Locus Jovis in Ephemeride Heckeri, Feb. 16, Hora 7 44′, erat 13° 45′ ♍, cum Latitudine Sept. 1° 29, nimirum ab Observatione in Longitudine deficiens 13 Min. quam in Latitudine excedit 2′ ½.

At D. Streetio Fixæ Locus tunc in ♍ 14° 03′ 54″, cui propterea Planeta esset in ♍ 13° 54′ 38″. Calculo tamen à Tabulis ejus Carolinis Planeta reperitur in ♍ 13° 48′ 39″, cum Latitudine boreali 1° 29′ 31″. A Cœlis in Longitudine deficiens 5′ 59″, quos in Latitudine exuperat 3 Min. si Fixæ restitutioni Tychonicæ fidendum sit.

23 ♀ ris Hora 11 19′ ½, P. M. altâ occidentali Pleiadum b, 9° 50′, ejusdem capta Distantia à Cuspide Lunæ proximo 1995 = 11′ 58″; divertens deinde ad Stellæ Altitudinem (ostensam Quadrante 20 Dig. Radio ad Tubi latus affixo) notandum, & continuo reversus, Stellam (quippe tunc à Luna tectam) non comperi; interea Luna descenderat Minuta 10, simulque tantundem Fixa, quam subiisse Lunam Hor. 11 20′ ½ ex sequenti Phasi colligo; etenim alta Fixa c 8° 43′, i. e. Hora 11 30′ Luna tegebat Stellam c Pleiadum, cujus à Cuspide Lunæ proximo tunc erat Distantia 2765 = 16′ 35″. Intervallum Temporis inter hujus & præcedentis Occultationes calculo repertum 9′ 27″, quod Tempori hujus Phasis sublatum dat præcedentis, ut supra, constitutam Immersionem. Hora 11 37′, altâ Fixâ e Pleiadum 7° 46′ ipsa Lunam subibat à Cornu Lunæ superiori apparentèr, inferiori verè distans 3765 = 22′ 36″: unde visibilem Centri Lunæ Locum ad hoc Momentum colligo ♉ 24° 49′ 35″, cum Latitudine Septentrionali 4° 19′ 32″; sed admissâ Æquinoctiorum annua Recessione Streetianâ in ♉ 24° 45′ 06″: Locus autem Lunæ à Tabulis Carolinis deductus erit ♉ 25° 00′ 00″, cum Latitudine 4° 18′ 26″, justo scilicet promotior 14′ 54″; cum majori observatâ Latitudine 1 Min. Vide Epil. ad Tab. Horroccii, pag. 493; & Acta Philos. pag. 5034 & 5035. *Vide Fig.* 14

Martii 4 ☾ Vesp. Circa 10ʰ ½, P. M. Luna juxta editas Conjecturas transitura erat 23′ supra 35ᵐ ♍, cujus Locus Tychonicus tunc ♎ 11° 38 ½, Latitudo 3° 23′ Austr. Hora 11° 01′ ½, alta Fixa 24° 46°, ipsa distabat à proximo margine Lunæ 2555 = 15′ 20″, cujus superior Margo in eadem ferè Altitudine cum fixa fuit, deinde alta Fixa 26° 20′, Lunæ Limbus proximus à Fixa iterum distabat 2725 = 16′ 21″; sed hæc Altitudo tempori indigitando non omnino commoda, quippe Fixa jam haud procul aberrat à Meridiano; in præcedenti Annotatione, propter latiorem Limbi Lunæ à Fixa Distantiam, num in eadem Altitudine cum Fixa fuit, vel paulo altior aut depressior determinare non potueram; certe tamen in eadem Altitudine fuit quam proxime. Lunæ paulo ante primam Animadversionem capta Diameter 5157 = 30′ 57″. *Vide Fig.* 15

15 ♀ ris Vesperi. Jove retrogrado per 38ᵐ Leonis revertente, cujus Locus Tychonicus ♍ 9° 57 ½, Latitudo Borealis 1° 20′ ½, alto eo 32° 52′, i. e. Hora 7 25′, Limbus Jovis remotissimus à Fixa distabat 5702 = 34′ 03″, eratque Differentia Altitudinum Limbi Jovis superioris & Fixæ 3450 = 20′ 35″. Sed de hac Mensura omnino certus esse non poteram; etenim cum Instrumentum adeo disposuissem, ut Indiculorum Margines essent Horizonti paralleli, si alter Fixam tangeret, Planeta extra Extensionem alterius extaret aliquantulum; duo duntaxat Satellites, primus scilicet & secundus circa Jovem hâc vice *Vide Fig.* 16

ANNO MDCLXXII.

## *Johannis Flamſteedii* OBSERVATIONES Cœleſtes.

vice conſpiciebantur, aliis duobus ſub ipſo latentibus. Advertendum præterea, quod neque hâc neque heſternâ Nocte Fixam nudis Oculis reperire potui, quæ per Teleſcopium valde clare videbatur.

*Vide Fig.* 17 — Martii 16 ♄ni — Nocte ſequenti, alto Jove 36° 00′, i. e. Hora 7 48′ P. M. ipſius Limbus remotior à Fixa diſtabat 4585 = 27′ 22″, eratque Differentia Altitudinum Centri Jovis & Fixæ 2675 = 16′ 00″. Hanc præciſiorem Obſervationem exiſtimo quam quæ heri facta fuit. Jovis Altitudo capta fuit Quadrante minori 8 Digitorum quoad Radium.

*Vide Fig.* 18 — 19 ♂li Veſperi

| ♃ *Alt.* ° ′ | *Hor. ſup* h ′ | | ′ ″ |
|---|---|---|---|
| 29 35 | 6 45 | f a | 438 = 2 36 |
| 30 35 | 6 52 | f a | 428 = 2 33 |
| 31 00 | 6 55½ | ♃ f | 1788 = 10 41 |
| 32 14 | 7 05 | f a | 366 = 1 59 |
| 33 00 | 7 11 | ♃ 4 | 1601 = 9 34 |
| 33 52 | 7 17 | 4 f | 1243 = 7 26 |
| 34 10 | 7 20½ | f a | 248 = 1 29 |
| 34 45 | 7 25½ | f a | 222 = 1 22 |
| 36 00 | 7 36 | ♃ f | 1778 = 10 37 |

Tres interea circa Jovem apparuere Satellites, quorum unus erat ad lævam ipſius, duo ad dextram; horum extimus duas ferè ♃lis Diametros à Limbo ejus diſtabat, alter ipſi jam appropinquabat, ut,

| ♃ *Alt.* ° ′ | *Hor. ſup* ° ′ | |
|---|---|---|
| 37 08 | 7 46 | Putabam Limbum Jovis tangere. |
| 37 30 | 7 49 | Dubitavi an videbam necne. |
| 37 40 | 7 50½ | Certe diutius videre non potui, jamque Fixa erat in eadem Altitudine cum Limbo Jovis ſuperiori. |
| 43 30 | 8 56 | Fixa altior erat Limbo Jovis 158 = 0′ 57″, & Jovis f 1718 = 10′ 15″; jam primus Satelles apparuit, unam ejus Semidiametrum à Limbo ad dextram ipſius. |

20 ☿ii Veſperi — Melius præparato Micrometro, ſequentes habitæ Obſervationes nonnihil credo præcedentibus accuratiores.

*Vide Fig.* 19

| ♃ *Alt.* ° ′ | *Hor. ſup* h ′ | | ′ ″ |
|---|---|---|---|
| 30 00 | 6 44½ | f a | 432 = 2 35 |
| 30 47 | 6 51 | f a | 434 = 2 36 |
| 32 00 | 6 59½ | ♃ f | 1228 = 7 21 |
| 38 30 | 7 54½ | f a | 603 = 3 36 |
| 40 20 | 8 03 | Satelles ½ Diam. apparuit à Limbo Jovis. | |
| 40 50 | | f a | 680 = 4 04 |
| | | ♃ f | 1243 = 7 26 |
| | | ♃ | 128 = 0 46 |

Angulus Circuli verticalis in Fixam incidentis cum Ecliptica, Hora 6 51′, P. M. erat 35° 39′. Statuo tunc Diſtantiam Centri Jovis à Fixa 7′ 00″, & Differentiam Altitudinum ejuſdem & Fixæ 2′ 14″; unde Locum Planetæ colligo 2′ 03″ in Conſequentia Fixæ, cum majori Latitudine 6′ 42″. Locus Fixæ Tychonicus tunc mihi ♍ 9° 57′ 20″, Latitudo 1° 20′ ½ Sept. Jovis ergo Locus ♍ 9° 59′ 23″, cum Latitudine 1° 27′ 12″, qui in Ephimeride Heckeri eſt ♍ 9° 49′, cum Latitudine 1° 29′, aberrans in Longitudine 13 Min. in Latitudine 2′. Equi-

ANNO MDCLXXII.

## *Johannis Flamsteedii* OBSERVATIONES Cœleſtes.

Equinoctiorum annua Receſſio D. Streetio 48″, Fixæ ergo huic Locus ♍ 9° 54′ 00″, & Jovis ♍ 9° 56′ 03″, qui calculo à Tabulis Carolinis reperitur in ♍ 9° 50′ 00″, tum Latitudine Boreali 1° 28′ 57″, in Antecedentiâ Loci obſervati 6′ 03″, cum majori Latitudine 1′ 45″.

Martii 27 ☿ ii — Circa Horam 8, P. M. alto Jove 41° ½, quartus Jovis Satelles aberat à Limbo ejus remotiori 1591 = 9′ 30″, à citeriore verò 1463 = 8′ 42″. Jovis ſemel capta Diameter 130 = 46″, hanc tamen Menſuram juſtò latiorem exiſtimabam; deinceps ſæpius habui 128 = 45″ ½ hujus ergo Satellitis apparens Elongatio à Centro Jovis in ipſius Semidiametris 23 ſd. 51′: Motus ejus à Jove, ſecundùm D^ni^ Caſſini Numeros, Hora 8, erat 2 s. 19° 35′; at juxta alios D^ni^ Towneleii, 2 s. 20° 20′, aberat ergo etiamnum Satelles à ſumma ejus Elongatione 24′ ſcrupulis ſexagenariis Semidiametri, quæ propterea eſſet 24 ſd. 15′, hanc Caſſinus ſtatuit 23, ſed D. Townleius 24 ⁷⁄₁₀ Semidiametros Joviales. *Vide Fig.* 20

28 ♃ ii — Nocte ſequente, Hora . . . . alto Jove 40°, Satelles idem aberat à Limbo ejus proximo 1473 = 8′ 45″, à remotiſſimo verò 1598 = 9′ 32″, cujus propterea apparens Elongatio à Centro Jovis Semidiam. ipſius 23 ſd. 58′. Motus Satellitis à Jove, ſecundum Cl. Caſſini Numeros tunc erat 3 s. 11° 13′, & propterea extima eſſet Elongatio 24 ſd. 24′.

Maii 13 ☽ — Poſt mediam Noctem ſequentem Martis Sidus obſervatum à 16ᵃ ♒, cujus Locus Tychonicus tunc ♒ 24° 12′ ½ Latitudo Auſtralis 2° 00′.

*Vide Fig.* 21

| *Alto ♂^tc^* ° ′ | *Hor. ſup.* h ′ | |
|---|---|---|
| 9 49 | 14 29 ½ | ♂ f 4068 = 24′ 17″, ſcilicet intra Limbum proximum Planetæ & Fixam, cum quâ jam erat in eodem Circulo verticali. |
| 11 12 | 14 44 | ♂ f 4088 = 24 24 |
| 12 00 | 14 51 | Planeta deceſſerat à Circulo verticali ad dextram, eratque Azimutharum ipſius & Fixæ in eâ Altitudine Diſtantia 178 = 1′ 03″. Fixam nudis Oculis percipere non potui, nec niſi obſcurè bipedali Tubo. |

Hora 14 29′, Angulus Circuli verticalis per Fixam deſcendentis cum Eclipticâ Calculo inventus 82° 26; ergo Fixa in Antecedentiâ Planetæ 3′ 11″, cum minori Latitudine Auſtrali 24′ 04″, & Planetæ Locus 24° 15′ 40″ Aquarii, cum Latitudine Meridionali 2° 24′ 04″.

Locus ejus in Ephemeride Heckeri Aquarius 24° 11′, cum Latitudine 2′ 26″, ab obſervatâ Longitudine deficiens 4 Min. Latitudinem exuperans obſervatam 2 Min.

Aſſumptâ tamen Equinoctiorum Receſſione Carolinâ, Planeta reperitur in Aquario 24° 12′ 17″; ſed è Tabulis Carolinis ejus locus ſupputatus ♒ 24° 17′ 22″, cum Latitudine Auſtrali 2° 27′ 29″, promotior in Longitudine quàm obſervatus fuerit 5′ 05″, cum majori Latitudine 3′ 05″.

24 ♀ tis — Redeunte Jovis Sidere ad 38^am^ Leonis, cujus Locus Tychonicus nunc ♍ 9° 57′ 20″, cum Latitudine 1° 20 ½ Boreali, Hora 10 00′ ½, alto Jove 24° 42′, Limbus ejus remotiſſimus à Fixâ diſtare viſus 3385 = 20′ 12″; & Hora 10 05′, alto ipſo 24° 10′, Differentia Altitudinum Limbi Jovis ſuperioris & Fixæ capta 1351 = 8′ 03″, & Limbi ejus remotiſſimi à Fixa iterum Diſtantia 3368 = 20′ 06″, Satellites ut in Figura circa ipſum diſpoſiti apparuere, & in Linea horum Viæ perpendiculari ſupra extimum ad ſiniſtram, Fixula g, 13′ à Jove, & 9′ circiter à Satellite diſtans. *Vide Fig.* 22

## ANNO MDCLXXII.

## *Johannis Flamsteedii* OBSERVATIONES Cœleftes.

| | | ♃ᵉ Alt. ° ′ | Hor. ſup. ° ′ | | | ′ ″ |
|---|---|---|---|---|---|---|
| | Maii 26 ☉ⁱˢ Veſp. | | | | | |
| *Vide Fig.* 23 | | 33 30 | 8 46 | ♃ f | 1730 = | 10 19 |
| | | 31 50 | 9 00 | f a | 1138 = | 6 47 |
| | | 29 10 | 9 20 | f a | 1158 = | 6 36 |
| | | 27 20 | 9 33 | ♃ a | 1273 = | 7 35 |
| | | 27 00 | 9 36 | ♃ f | 1721 = | 10 17 |
| *Vide Fig.* 24 | 27 ☽ Veſperi. | 31 24 | 8 59 | ♃ f | 1058 = | 6 19 |
| | | 31 30 | 9 07 | f a | 359 = | 2 08 |
| | | 29 13 | 9 16 | f a | 369 = | 2 10 |
| | | 28 10 | 9 23 | ♃ f | 1057 = | 6 18 |
| *Vide Fig.* 25 | 28 ♂ⁱˢ Veſperi. | 31 08 | 8 57 | ♃ f | 1058 = | 6 18 |
| | | 28 10 | 9 19 | f a | 634 = | 3 47 |
| | | 26 30 | 9 31 | f a | 642 = | 3 50 |
| | | 26 10 | 9 34 | ♃ f | 1060 = | 6 20 |

30 ♃ⁱˢ Alto Jove 26° ½, i. e. Hora 9 30′ ♃ f erat 2652 = 15′ 58″, Fixa jam altior apparuit quàm Planetâ, inter cujus Limbum remotiſſimum & ipſam omnes cum Diſtantiæ ♃ f, tum Altitudinum Differentiæ fa captæ fuere. Jovis capta Diameter 108 = 39″, quamobrem Partes 54 = 19″ ½ ab obſervatis Menſuris ubique ſubducendæ ut Centri Jovis à Fixa Diſtantiæ, & ab eâ Altitudinum Differentiæ haberi poſſint; notandum præterea quod evidentiæ cauſa Planetæ Diametrum duplo majorem juſto in his Figuris ubique deſcripſi. *Vide Fig.* 26

Ad Diem 27ᵐ Hora 9 07′, P. M. ab his Animadverſionibus Diſtantiam Centri Jovis à Fixa ſtatuo 6′ 00″, & Azimuthorum Intercapedinem 1′ 50″, Anguli Parallactici complementum Calculo tunc inveni 79° 49″, & propterea Planetam in Antecedentiâ Fixæ 2′ 50″, cum minori Latitudine 5′ 18″; Fixæ ergo ut ſupra, conſtitutis Loco & Latitudine, tenebit Planeta ♍ 9° 54′ 40″, cum Latitudine Sept. 1° 15′ 11″.

Locus ejus in Ephemeride Heckeri nunc ♍ 9° 43′ ½, Latitudo 1° 17′ Septent. aberrans in Longitudine 11 Minuta, in Latitudine 2′.

Sed Fixæ Locus D. Streetio ♍ 9° 54′ 09″, & Planetæ propterea ♍ 9° 51′ 19″; at è ſuis Tabulis tunc ſupputatus ♍ 9° 46′ 28″, cum Latitudine Sept. 1° 16′ 28″, aberrans nimirum in Longitudine 4′ 51″, in Latitudine 1′ 17″.

Junii 16 ☉ⁱˢ Poſt mediam Noctem ſequentem, ♂ᵗⁱˢ Sidere ad 27ᵘᵐ & 28ᵘᵐ ♒ⁱⁱ appropinquante (quarum præcedens tenet ♓ⁱᵘᵐ 11° 44′, cum Latitudine Auſtrali 3° 58′ ½, ſequens verò ♓ 12° 12′, cum Latitudine 4° 10′ ½ etiam Meridionali) altâ Fixâ 22° 20′, i. e. Hora 14 47′, ejus capta Diſtantia à præcedenti Fixarum 3078 = 18′ 21″, quâ altior apparuit unum ſaltem ſcrupulum, ſed non plus duobus oculari per Tubum æſtimatione. Nubes enim Planetam ſubtercurrentes juſtiorem Menſuram capi prohibuere.

17 ☽ Poſt mediam Noctem ſequentem, frequentes fuere Nubeculæ & Vapores tenues ſub Cœlis, per quos Planeta obſervatus erat à ſequenti Fixarum.

| | Altâ ✱ⁱ ° ′ | Hor. ſup. ° ′ | | | ′ ″ |
|---|---|---|---|---|---|
| *Vide Fig.* 27 | 12 06 | 13 01 | ♂ f | 3975 = | 23 44 |
| | 15 58 | 13 34½ | ♂ a | 2728 = | 16 17 |
| | 16 20 | 13 58 | f a | 2813 = | 16 48 |

Denſiores

ANNO MDCLXXII.

## *Johannis Flamsteedii* OBSERVATIONES Cœleſtes.

Junii 17 ☽

Denſiores Nubes ſuccedentes, Fixarum capi Intercapedinem aut Martis Diametrum non permiſere, hanc tamen fuiſſe 20″ exiſtimo: Si aliqua prodibit Differentia inter Locos Martis, ab obſervata Diſtantia, cum Altitudinum Differentia & Azimutharum ſupputatos, illi potius qui ab Altitudinum Differentia eruetur fidendum duco, quoniam ejus, ni fallor, certior erat Menſura. Heſternæ Noctis Obſervationes Erronis Locum optimè poſſint oſtendere, hujus Latitudinem.

Inſpecto deinde eodem Tubo Saturni Sidere, protuberans aliquid ad utrumque ejus latus potui percipere; ſed vix adeo clarè & diſtinctè ut in veſpertinis Decembris præteriti Obſervationibus, vel propter Aeris vapores, vel naſcentis Diei lucem.

Auguſti 8 ♃ⁱˢ Veſp.

Interſtitium captum inter 27ᵐ & 28ᵐ Aquarii, prope quas Martis Sidus tranſierat Die 17 & 18 Die Junii præteriti) erat $5435 = 32' \ 11''$, & 28ᵃ à 29ᵃ, $5010 = 29' \ 39''$; ſed hanc credo à Refractionibus juſto arctiorem exhibitam Intercapedinem; deinceps enim, cum plus ab Horizonte elevarentur, ſemper latiorem habui.

29 ♃ⁱˢ

Martis Acronici in ♓ 17 Diameter pluribus & ſæpe repetitis Experementis inventa $92 = 33''$.

Septemb. 2 ☽

Martis iterum Diameter $93 = 33''$, & Saturni (Orbis ſcilicet ipſius) $69 = 25''$; ſed hujus potius nimiam fuiſſe Menſuram metuo.

16 ☽

Hujus Diei Veſpera Obſervationes ordiri inſtitueram, quas pro Parallaxi Martis inveſtiganda deſignâſſem, cujuſque in Gratiam, accuratum Ephemerida, cum Locum ipſius tum Latitudinem ad Horam 8ᵐ cujuſque Diei à 15° hujus Menſis, ad 3ᵘᵐ Octobris oſtendentem (à D. Oldenburgo Actis ejus Philoſ. num. 86, pag. 5041, cum Monito meo hujus Opportunitatis inſertum) è Tabulis Carolinis ſupputaveram: Patris tamen Negotiis aliquibus repoſcentibus, hoc ipſo Die iter ſuſcipere in Comitatum Lancaſtriæ coactus fui. Verebar profectò ne hic Caſus omnem mihi Laborem & Spes irritas redderet; ſed meis conatibus non omnino averſi Cœli, in Domus Amici mei generoſiſſimi R. Townleii (Micrometri quod ab eo Towneleianum appellamus authore, omniſque Matheſeos peritiſſimi) divertere permiſere. Towneleium veni Septembris 18, ubi eadem ipſa veſpera adſui, dum D. Petrus Giffordus, ipſi qui à Domeſticis, dimenſus eſt

| | | | | | | ′ ″ |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 18 ☿ʳⁱⁱ | Hora 11 00′ | ♂ | S | 1705 | = | 23 35 |
| | | ♂ | A | 1500 | = | 20 45 |
| | | A | S | 2219 | = | 30 41 |

*Vide Fig.* 8

21 ♄ⁱ

